

CONCILIUM ELIBERINUM

Sui Illiberitanum.

I. Gravis inter eruditos de hujus Concilii loco, tempore, atque auctoritate concertatio fuit: Fernandez Mendoza haec difficultates tanta doctrinae luce discussit elucidavitque, ut in suum sensum reliquorum eruditorum consensum traxerit. Concilii locus, ut idem luculenter demonstrat, non alius est quam Illiberis, septimo lapide ab urbe Granatensis distans, cuius nunc tantummodo rudera & parietinae supersunt in colle, qui nunc vulgo *Mons Elbira* dicitur in Bœtica provincia. Plinius lib. 3. cap. 3. Illiberim recenset inter celeberrima, quae inter Bœti amnem & Oceanum interfacent, oppida. Locus est olim Episcopali sede insignis. Meminit Romanum Martyrol. idibus Maji, & Hieronymus in Catalogo Scrip. Eccl. Gregorii Bœtici, quem fuisse ajuunt Illyberis Episcopum. De altera vero Illiberi sub Pyrenæis jugis in Narbonensi provincia sita, quam probat Fernandez non aliam esse, quam quae nunc *Collibre* seu *Colloure* dicitur, improbabile est fuisse hujus Concilii locum; tum quia in isto Concilio proprius loci subscribit Episcopus Flavius Episcopus Eliberitanus, tum quia qui subscribere Episcopi sunt ex Hispania penitenti, nulli vero ex subalpinis versus Galliciam locis. Quis vero credat celeberrimum totius Hispaniae Concilium totum constans ex Hispanicis Praeulibus, fuisse convocatum ad extremos regionis fines, intra oppidum, quod nunquam fuit Episcopale: His aliisque rationibus asserunt eruditissimi scriptores Baronius & Fernandez Mendoza, eversa demum Episcopali Illiberi populum & Clerum cum Episcopali prerogativa Granatam transmigrasse duabus distans locis.

2. De tempore Concilii hujus magna est controversia. Sileo illorum opinionem, qui post Constantini Magni conversionem habitum existimant, utpote minus probabilem: duæ solum supersunt probabiliores exploranda, eorum scilicet qui cum Baronio referunt ad tempora Constantii Chlorig, & Maximiani Herculii. Licet enim sub Chlorig Constantini patre longe mitissimo, & erga Christianos bene affecto, qui Gallis, Hispaniis, & Britannia inoperabat, nulla persecutio Christianos regionum istarum dirigeret; istis tamen ex immani persecutione respirantibus providendum erat in futurum, quando non solum per ceteras omnes Imperii partes atrox fiebat persecutio; sed etiam Constantii Chlorig liberi, & Maxentius Herculio natus falsos colebant Deos, & periculum permiscebatur ne Herculius, qui invitatus Imperium deposuerat, vellet illud resumere. Unde nihil mirum foret, si illis etiam temporibus Christiani Hispanias incolentes inter innumeros sibi que infensos idolorum cultores de religione providere satagebant, sive in presenti, sive ad futurorum temporum precautionem. Etenim inter subscriptos Episcopos Osius Cordubensis Episcopus, & Valerius Casaraugustanus, haud multo ante in persecutione capti, atque in exilium relegati, sub Daciano Hispaniarum crudelissimo Praefide fuerant, a quo Diaconus Vincentius fuit crudelissimis tormentis cum multis aliis ad necem excruciat. Sed postquam Constantius Chlorus Occidentem regendum cum Caesaris nomine recepit, excitationem procellam sedavit, & quotquot in custodia & exiliis detinebantur Christiani, postlimini beneficium cum libertate receperunt. Ita censet Baronius.

3. Mendoza tamen opinio est, Concilium istud, ante excitationem a Diocletiano & Maximiano Imp. Ecclesiae persecutionem, celebratum fuisse, cujus rationes sunt istae: non quidem plene convincentes, sed tamen admodum verisimiles. Scribit Augustinus lib. 3. contra Cresconium fuisse inchoatam persecutionem, Diocletiano octavum & Maximiano septimum Consulibus, quando (ut tradit Eusebius lib. 6. hist. Eccl. cap. 2.) festum imminabat Dominicae Passionis, qui Consulatus in annum incidit tercentiesimum tertium, quod non potuit, nisi aliquot interjectis mensibus, ob locorum distantiam, executioni mandari impium edictum, quod fuerat Nicomedensi in civitate, in qua simul tunc versabantur duo Imperatores, publicatum. Insitit vero Mendoza fuisse Osum, qui subscripsit huic Synodo, jam exilio damnatum ob Christi fidem, ut liquet ex epistola ad Constantium Augustinum apud Athanasium, in epistola ad solitariam vitam agentes, in qua sic scribit Athanasius ex ipsomet Oso: *Ego confessionem unum explevi, cum moveretur persecutio ab avo tuo Maximiano. Quod si in quoque persecutionem moves, etiam nunc ad quavis potius sustinendum paratus sum.* At consenti non potuit mitior insigi poena, quam exilii aut deportationis. Addit Nice-

phorus fuisse illum quoque stigmatibus innotum, eamque ob causam a Constantino excommunicatum amantissime ac impense dilectum. De Valerio quoque Episcopo, qui huic Synodo interfuit & subscripsit, addit Mendoza, fuisse exilio relegatum, atque in eodem exilio interitum se probat traditione, & Breviariis Hispanicarum Ecclesiarum, annalibusque Aragoniae & Valentiae. Praeterea Innocentius Papa primus, in epist. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, hanc profert causam severioris antiquae disciplinae, temporibus posterioribus mitigatae, ut posthac communio lapsis penitentibus indulgeretur, quae fuerat olim absolute denegata: quia nimirum prioris districtioris tempore, persecutionibus crebris affligebatur Ecclesia, ideoque duriore disciplina opus erat, quae fideles contineret ne succumberent. Qua cessante causa, redditaque Ecclesiae pace, mitius agendum fuit; quia defierat succumbendi adeo violenter urgens periculum. Durioris autem illius disciplinae frenum ac retinaculum non nisi ad canones Illiberitanos referri potest: ut ipse refert Baronius. Fatendum igitur fuisse initium istud Concilium, quod lapsis quantumvis penitentibus, communionem indulgeri etiam in exitu vite prohibet, non nisi persecutionis urgentis, aut certe instantis tempore fuisse convocatum. Similis apparet in epistolis passim Cypriani Ecclesiasticae districtio sub Decio atque Valeriano tunc temporis persecutione. Videri potest Cypriani ad Cornelium epist. 8. itemque Concilium Ancyranum can. 6. Denique ipsi canones Illiberi, in quibus deestitutur de Flaminiis ethnicorum, de coronis Sacerdotum, de Christianis sive libellaticis, sive thurificatis, sive sacrificatis; de litteris Confessorum non admittendis, quas in gratiam lapsorum ut reconciliarentur in Ecclesia, de carceribus, de insulis exilii, deque ergastulis scribebant ad Episcopos sancti Confessores veniam pro illis rogantes: Idem de domesticis laboribus, & de his quos occidi contingeret dum templa Gentilium aut altaria evertunt; aut simulacra effringunt, aliaque ejusmodi per multa Synodi decreta abunde convincunt fuisse proculam nondum Ecclesiae placida tranquillitate, qua Christiani sub Constantio Chlorig fruebantur; sed potius sub Diocletiani infestatione vel atrociter saeviente, vel metum saltem & trepidationem ingerente.

4. De auctoritate autem istorum Canonum, quam aliqui elevare student diverso praetextu, quia nimirum apud priores Canonum collectores nulla fit Illiberitani Concilii mentio, Ferrandum Diaconum, Dionysium Abbatem cognomento Exiguam, Isidorum, Cresconium, Respondetur alios perloque antiquos & graves meminisse, Bercardum Vormatiensem Episcopum, Ivonem Carnotensem, Joannem Gallensem, Anselmum, Gratianum, a quibus in suis Canonum collationibus fit frequens Illiberitanorum Canonum mentio. Agobardus quoque Lugdunensis Episcopus, qui sub Carolo Magno & Ludovico Pio claruit, in suo de Imaginibus tractatu, nititur auctoritate Illiberitani canonis 36. Sed habemus praeterea firmiorem (ut ita loquar) prophetice sermonem, sacrosancta pleraque Concilia, & Sanctorum Romae Pontificum decreta, his collectionibus antiquiora. In primis œcumenicum Sardinense Concilium, per quod Ecclesia de Arianis triumphavit, anno 347. & cui legatus Apostolicus praesedit Osius idem qui cum Patribus Illiberitanis confederat & subscripsit. Itaque in Sardinensi can. 11. sic habetur: *Osius dixit: Recordemini Patres nostros in tempore praeterito decessisse, ut si quis laicus in aliqua urbe tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communionem moveatur. Si hoc ergo de laicis statutum est, non oportet Episcopum, si non habet graviores necessitates, vel negotium difficilium, ab Ecclesia sua diutius abesse, & si ubi commissum populum contristare. Omnes Episcopi dixerunt hanc quoque sententiam esse convenientissimam.* Certè nullibi statutum fuisse constat de laicis nisi in Concilio Illiberitani can. 21. hisce verbis: *Si quis in civitate positus tres dominicas ad Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat ut correptus esse videatur.*

5. Habemus praeterea celeberrimum Concilium Arelatense primum, quod iure merito ab Augustino vocatur plenarium & universale, anni 314. sub Sylvestro Pontifice, antiquius Niceno & Sardinensi. At huic Arelatensi multorum canonum materiam suppeditavit istud, quod fultem annis duodecim praecesserat: Illiberitanus enim can. 4. de Agitatoribus: & can. 4. de Theatricis; & can. 6. de his qui in infirmitate credere volunt: & can. 7. de his qui Magistratus gentium gerunt: & can. 9. de litteris Confessorum: & can. 11. de matrimoniis Infidelium: & can. 23. de apostatis, qui omnes similiter renovati legantur in Arelatensi primo. Item Vormatiense Concilium sub Hadriano Papa secundo habitum anno 688. can. 39. iisdem ipsis verbis repetit canonem Illiberitanum 5. Praeterea Concilium Moguntinum sub

Raba-

Concilium Illiberitanum.

Rabano Mauro Archiepiscopo canones aliquos Illiberitanos iisdem quoque verbis renovat. Insuper Concilium Sueffionense, apud Sanctum Medardum in actis sextae actionis, quae extant ad finem canonis ultimi, ad definiendam gravem subortam causam inter Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, & quosdam alios, profert can. 75. Illiberitanum: & adjungit Illiberitano Concilio praesuisse Apostolicæ sedis Legatos. Innocentius insuper Papa primus huic eidem Illiberitano Synodo auctoritatem conciliat, ut monet Baronius, quando in epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, hæc ait cap. 2. *De veteri observatione duriori, quam tamen iustam redderent eorum temporum persecutiones.* Quibus verbis nihil aliud significari potest quam Illiberitani canones, qui tempore persecutionis sanciti, soli privant communionem in articulo mortis aliquos lapsos: non enim laudare, aut iustos pronunciare auderet tantus Pontifex, si essent Novatiani schismatica dogmatica. Insuper Hadrianus primus Pontifex in ea decretorum collectione, quam ad sui defensionem ex Græcis & Latinis Conciliis variis concinnavit, duos inserit canones Illiberitanos, scilicet can. 52. *Si qui inventi fuerint libros famulos legere, vel cantare excommunicentur.* Et can. 79. *Si quis Episcopum, vel presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appeterit, & probare non poterit, nec in sine dandam esse communionem.*

7. An vero in his aliisque canonibus Illiberitani privatiõ communionis in fine vite sit intelligenda de solius Eucharistiæ privatione, an vero significet etiam reconciliationis seu absolutionis exclusionem, disputatio inter doctos ventilatur: vox enim *Communio* utriusque significationis est capax. Bellarminus qui existimat istud Illiberitanum Concilium fuisse non Orthodoxorum, sed Novatorum, ideoque ut damnabile rejiciendum, non dubitat esse intelligendum de absolutionis interdicione, cum ipsorum hæresis esset, Ecclesiam nec debere, nec posse absolutionem lapsis in quadam graviore crimina, quantumcumque penitentibus, impertiri. Alii vero non eouique processerunt, ut censuræ horum canonum auctores fuisse Novatianos, nec istam ab Ecclesia esse amovendam potestatem, qui erat Novatorum & Cataphrygum error, sed tamen conducibilis judicasse si certis quibusdam occurrentibus illam exercere recusaret, juxta Apostoli epist. 1. Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Ita sentiunt Albaspinæus & Jacobus Sirmondus: atque ita fenserat Dionysius Petavius in suis ad Epiphanium annotationibus, sed postmodum mutavit sententiam, nec nisi de privatione Eucharistiæ censuit intelligendos canones istos in suis ad Syneum observationibus, quod idem censuerat Cardinalis Baronius & Fernandez Mendoza, illos ad solius Eucharistiæ recusatorem restringentes. Hoc certe observandum, Eliberitanas istas sanctiones etiam restrictas ad solius Eucharistiæ vitii privationem severitatem præ se ferre, qualem alii Canones Ecclesiastici non judicarunt ullo casu erga penitentes adhibendam in extremis vite. Refert enim Ambrosius lib. 2. de penitentia cap. 3. quod penitentem reconciliationem comitari indivulso solebat Dominice carnis communio. His accessit conformia sacrorum Conciliorum placita. Nicæna enim Synodus cui idem ipse praesedit Osius Cordubensis, qui sua subscriptione Eliberitanam confirmaverat, non permittit can. 13. penitentes instante mortis discrimine divino isto privari viatico. Idemque paulo ante Nicænam fuerat a Concilio Ancyrano statutum, can. 6. fuitque posterioribus Ecclesiae regulis confirmatum Agathensis Concilii can. 15. & ab Innocentio Pontifice hujus nominis primo, epist. ad Exuperium Tolosanum, his verbis: *Et quæstum est, quid observari oportet de his qui post baptismum omni tempore incontinentia voluptatibus dediti (en qualem tranfactæ vite nequitiam) in extremo vite sue sine penitentia simul & communionis reconciliationem exposcunt. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio est. Nam consuetudo tenet prior ut concederetur penitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus persecutiones crebrae essent, ut communio concessa facilis homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communitio est, concessa penitentia, ne totum penitus negaretur: & duriores remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesie reddidit, iam terrore depulso, communionem dari abentibus placuit: & propter Domini misericordiam, quasi viaticum presertim; & ne Novatiani heretici negantem veniam, asperitatem & duritiam sequi videamur.* Sed & operæ pretium fuerit Celestino Pontifici auscultare sic dicenti, epist. 2. ad Episcopos Provincia Viennensis & Narbonensis, cap. 2. *Agnovimus penitentiam morientibus denegari, nec illorum desideris annui, qui obitus sui tempore hoc animæ sue cupient remedio subveniri. Flor. Cabassuti, Notitia Ecclesiastica.*

remus fratres factores, tanta impietatis posse aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrere succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expediti desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est quam morienti mortem addere, ejusque animam Sua crudelitate ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad absolvendum paratissimus, invitans ad penitentiam, sic promittat: peccator, inquit, quæcumque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur & vivat. Perdidisset latro premium in cruce ad Christum dexteram pendens, si illum unius hora penitentia non juisset, &c.

7. Ne igitur diram immanitatem, quam Ecclesia in hæreticis Novatiani & Montanistis semper execrata est, in istud Concilium refundamus, illa communio in ipso exitu statuta privato nullatenus reconciliationis, seu absolutionis, sed Eucharistiæ Sacramentum adimere censenda est. Ecquis non abhorreat, & detestetur penitentem veniam in ipso vite exitu atque imminente jam irrevocabili iudicii limine, suppliciter & lacrimose roganti, reconciliationis operam in tanto discrimine subtrahere? Quis non perhorrescat illius crudelitatem qui prohiberet ne quisquam manum auxiliarem illi porrigeret, qui sua culpa in gurgitem prolapsus, & jam fluctibus immergendus supplices manus tenderet, ut discrimini eriperetur, praesertim si facilis, & absque liberatoris periculo eripi posset? An vero major pro vita temporali adhibenda caritas est, quam pro redempta Christi sanguine anima, quæ penitens & lu-gens in extremo vite confinio aeternae salutis imminenti discrimine, plenissime matris Ecclesiae operam praesidiumque, jamjam in praesentium & tremantium demonum casura fauces, efflagitat, & miserabiliter implorat?

8. Damnabile istud immanitatis genus condemnat antiqua pietatis, & eruditionis speciem Cyprianus epist. 2. ad Antonianum: *Miror (ait) quosdam (de Novatiani loquitur) sic obstinatos esse, ut dandam lapsis penitentiam non putent, aut penitentibus veniam existiment denegandam.* Sed & praestat ejusdem alteram, simulque Africanorum Antistitum epist. 14. ad Cornelium Romæ Episcopum fultus hæc eadem predicantem, proferre: *Statuerunt jampridem, frater carissime, participato nobiscum consilio invocem, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & lapsi fuissent, ac se sacrificiis illicitis polluisent, agerent diu penitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub illu mortis acciperent. Nec enim fas erat aut promittebat paterna pietas, & divina clementia Ecclesiam pollutibus claudi, & dolentibus, & deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de seculo decedentes sine communione, aut pace Domini dimitterentur. Et post pauca inserta: Quod si de collegis aliquis existerit, qui urgente certamine pacem fratribus & sororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die iudicii Domino, vel importuna censura, vel inhumana duritiae sua. At de his satis, nunc pro nostro instituto discutiendi sunt Illiberitani Canones observatu digniores.*

9. Canon III. *Item flamines qui non ignolaverint, sed minus tantum dederint, eo quod se a funebris abstinerint sacrificiis, placuit in sine praestari eis communionem, facta tamen legitima penitentia.*

Flamines istos Binius, alique nonnulli, de Christianis Sacerdotibus exponunt: sed hoc nomen profanum est, nec nisi ethnicorum sacerdotibus applicabile, Melius mihi videtur exponere Mendoza de Idolorum sacrificiis, qui abdicato prophano Sacerdotio, fidem cum Baptismo susceperant: sed urgente persecutione superveniente, illius declinandæ causa Magistratibus munera dederant, ut libellos immunitatis ab eis reciperent, ne ad exercenda sacrificia cogerentur. Apud veteres tria lapsorum genera celebrantur 1. Sacrificatorum, qui Idolorum sacrificiis contaminarant. 2. Thurificatorum, qui thura idolis incenderant. 3. Libellatorum, qui libellos a Magistratibus acceperant. Istud namque nomen non ab oblatis, sed ab acceptis libellis derivatur ut persuadent ipsa verba quæ libellaticis martyr Cyprianus attribuit, epist. 52. ad Antonium: *Cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi offensu fuisset occasio.* Sed praestat locum proferre integrum qui plenius usum libellorum edocet: *Qua inclementia est, & quam acerba duritia, libellaticos cum his qui sacrificaverunt jungeret, quando is cui libellos accepit est dicat: Ego prius legeram, & Episcopo transtante cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulacra a servo Dei adorari debere. Et idcirco ne facerem quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem nisi offensu fuisset*

D